

Bibliothèque numérique

medic@

**Picque, Gabriel - candidat / Lelaumier,
Etienne-Pierre - président. - [De
parotidibus]**

1757.

***Paris : Typis Viduae Delaguette,
Collegii & Academiae Regiae
Chirurgorum Typographi, viâ
San-Jacobaeâ, sub signo
Olivae***

Cote : ms 2342, n°57



D. O. M.
 T H E S E S
 ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



A est secretionum à naturâ sancita lex, ut ad illarum perfectionem, liquoris secernendi, & organi secernentis sana requiratur constitutio. Quâ deficiente ex parte liquoris, secretorium læditur, & vicissim ex parte secretorij, liquor secernendus afficitur. Ea est tamen humani generis misera fors, ut innumeræ, & liquori, & organo seorsim minitentur noxæ. Non ergò mirum quòd passim pullulent glandularum morbi, quod tam frequentes *Parotidum* tumores; de quibus dicturi, Anatomix facem præmittimus.



EX ANATOMIA.

PLURES inter glandulas, duæ *Parotides* (a) (à situ nomen ipsis) salivæ secretioni dicantur; alterutra, juxta radicem auris, in foveâ processu mammillari, condiloïdeo, angulo posteriori maxillæ inferioris, nec non arcu jugali circumvallatâ nidulatur. Suprà majorem masseteris partem ita sæpè sæpius procedit, ut formam inæqualiter triangularem exhibeat. Ex glandulis simplicibus, proprio membranaceoque thalamo quiescentibus, communi tamen cellulosoque mediante in unum conglomeratis coalescit Parotis glandula. Huic sanguinem per plurima vascula, in singulas glandulas simplices rursus ultra oculorum aciem distribuenda, jugiter emittit carotis externa. Sanguinis hujusce partem aliam excipiunt tenuissima salivæ secretoria, partem alteram residuamque amandant & vasa lymphatica multifariè terminanda, & venulæ sanguiferæ, quæ in venarum truncos arteriarum concomites, in jugularibus externis, anteriori & posteriori, nec non in internis (b) hiantes desinunt. Licet vasculorum in Parotide infinitus propè sit numerus, unumquodque tamen filamentum nerveo, tenuiori crassiorive irretitur; idcirco pars anterior & firmior nervi auditorii canalem osseum, seu aquæductum Fallopiæ trajecta, versùs Parotidem tendit ipsamque penetrat. Alia etiam non pauca ejusdem paris (c) filamenta cum cervicalibus & præsertim quinto pari, seu trigemellis per faciem, os & guttur serpentibus, multoties communicant. Hinc quænam Parotidum cum hisce partibus sympathia faciliè dignoscitur. Ultimas vasorum suprà enumeratorum extremitates attingere, apparatus, quo sub fine donantur, exponere desiderandum. An, ut venæ, sic & vasa salivalia, venarum diametro minora, ex arteriis immediatè procedunt? An arteriam inter & vas salivale folliculus ponitur? Num ductus salivales exceptum ab arteriis, in cavitates minimas & Parotidi intrinsecas, humorem aliis vasis foràs emittendum evomunt? Num è contrâ soli processus arteriarum minimi, laticem excipientes, nihilo me-

(a) Maxillares superiores à quibusdam Auctoribus etiam vocantur.

(b) Winsl. *Exposit. Anat. Trait. des Veines.* n°. 106

(c) Sympathicus minor à D. Winsl. nominatur, *Exposit. Anat. Trait. des Nerfs.*

diante ipsummet effundunt ? Afferrent ne tandem spiritus suos in cava interna nervi ad Parotidem appellentes ? Harumce quæstionum demonstratio felicioribus Anatomicorum experimentis committenda. Interim Parotidis secretoria, tanquam canaliculos exiles admodum & albidos, ab arteriis sanguiferis ad partem glandulæ anteriorem, per gyros, prodeuntes, ibique plures tubulos, in unicum modò coeundos, efformantes spectabimus. Unicus ex aliis, per trium digitorum longitudinem, & calami straminei crassitiem, proficiscens ductus, ab usu *Salivalis*; ab inventore, *Stenonianus* (a); à situ, respectu aliorum salivæ canalium, *Superior* audit. Membranâ cellulari & exteriori, alterâ mediâ & firmiori, interiori tandem & tenuissimâ, humore lubrico madidâ, componi videtur. A Parotide ferè transversim, super musculum masseterem, per medium genæ, procedit; ibi musculum hunc & membranam os intus vestientem, juxtâ secundum vel tertium dentem molarem, extremitate paululum incurvus (b), perforat, liquorem salivalem, largâ copiâ (c), in oris cavum, per unicum, non verò, sicut docuere quidam, per multiplex osculum depositurus.

PELLUCIDUS, igne non concreescens, odoris saporisque ferè expers, ex variis quassatibus spumescens observatur latex salivalis; aquosam & saponaceam refert indolem, loquelæ, deglutitioni & ventriculo ingestorum digestionem faventem: ipsius, sicut & salinarum oleosarumque partium, actio major, à majori divisione, vel copiâ; divisio autem & copia à frequentiori & diuturniore valorum oscillatione pender. Non ergo mireris cur in esuriente copiosior, fluidior, acriorve ventriculum & intestina frequentius sollicitet; Cur verò nimiam quantitatem per os, vulnusve ori inflicto ejecto, aut in Parotide obstructâ suppresso, Nausea, Anorexia dyspepsia; invito ægrotante magis ac magis recrudescant, cur tandem per masticationem velocius & copiosius affluat.

(a) Detectus fuit à Stenone, an. 1660.

(b) *Mém. de l'Acad. R. de Chir. tom. 3. p. 456.* Obs. Clar. D. Louis, Secretar. Acad. R. Chir. pro excerpt. necnon Chirurg. Maj. nosocom. R. Charitatis desig.

(c) *Paré. liv. 10. chap. 26.* Fab. ab Aquapend. part. 1. lib. 2. cap. 31. *Hist. Acad. R. Sc. an. 1719. p. 93.* & præsertim, *Mem. Acad. R. Chir. t. 3. p. 435.* ubi constat ex observat. M. Duphenix. inter prandium effluxisse salivæ copiam sequentem, scilicet, in primo experimento, per 15 horæ min. $\frac{3}{4}$ II. $\frac{3}{4}$ I. in secundo, per 18. horæ min. $\frac{3}{4}$ II. $\frac{3}{4}$ VI : in tertio, per 22 horæ min. $\frac{3}{4}$ III. $\frac{3}{4}$ II. $\frac{3}{4}$ I. in quarto, per 28 horæ min. $\frac{3}{4}$ IV. $\frac{3}{4}$ I.

A ij

4

UNAMQUAMQUE Parotidem infrâ, glandula quædam inhæret lymphatica, superficie levis & pluribus glandulis ejusdem speciei, ab apophyse mammillari, ad partem usquæ colli inferiorem identidem sparsis, superior conspicitur. (a) Corpuscula hæc inter glandulosa, plurima vasa lymphatica valvulis instructa reperire est. Lympham ab uno ad aliud, perfectionis causâ, vehunt revehuntque. Quàm longè latèque, per interstitia glandulis salivalibus interjecta, disseminantur Lymphaticæ istæ glandulæ, cuilibet parotidum morbos curanti observandum. Alia insuper, sed conglomerata minor, circa dentes molares posteriores maxillæ inferioris, muscûlum masseterem inter & buccinatorem, frequentius scalpello occurrit: Ope trium duorumve foraminulorum, punctis lacrymalibus duplo majorum, buccinatorem & oris membranam penetrantium, salivam pellucidam effundit; tanquàm Parotidis coadjutrix spectari potest: *Molarem*, à situ Heisterus; ab inventore, *Heisterianam* vocant alii. (b)

EX CHIRURGIA.

PAROTIDUM canaliculos modò contundunt, debilitantque corpora extranea, motu velociori agitata; modò irritant, constringunt, obstruuntve miasmata acriora, vel humorum moleculæ crassiores; undè torpor & stagnatio liquorum, undè, & aliis jugiter affluentibus, vasorum ingurgitatio, ex quâ seriùs ociùsve tumor. Sic tumefactæ, apud clinicos, unico nomine *Parotides* (c) vocantur. Ictus violenti, pressiones strictæ nimis; rerum, quas dicunt non naturales, abusus, defectus, aut vitium; Febres continuæ, ardentes, putridæ &c. Pestis, Strumæ, Siphilis, Scorbutus, phænomena modò enumerata plùs minùsve, pro suæ intensiõis gradu procreant. Si enim in minimo, tunc simplex & vix apparens erit ingurgitatio; si in majori, tunc magis impediti humores Parotidum, aut nervi magis irritati, tumorem majorem, aut dolorificum magis præbebunt. Variâ etiam induentur formâ Parotides, pro variâ

(a) *Winsl. Exp. Anat. Trait. de la Tête. n°. 591.*

(b) *Heister. Compend. Anat. tom. 2. p. 109. not. 57. ad p. 146.*

(c) Parotides etiam apud Græcos *Bubonum* nomine fuisse insignitas patet ex Hyppocrat. de morb. vulg. lib. 6°. cap. 7°. Sect. 2. §. 7°, &c. Galen, Méthod. Med. lib. XIII. Chart. p. 297.

5

humorum vasorumque diathesi. Sanguinis pars rubra, cutis; textûsque cellularis, & ipsiusmet Parotidis extremitates arteriofas ingurgitans, vel lymphaticos canales ingressa, tumorem in conum vergentem, rubore digito prementi non facilè cedente, calore, dolore vivido, identidem pulsante donatum, *Phlegmonem* ipsam exhibebit. Ex salivali (a), vel seroso latice vasa salivalia aut lymphatica parotidum, textûs cellularis, cutisque superexpansæ, jam debilitata, nîmiùm quàm par est replente, orietur tumor pallidus, mollis, pressionis tramite plûs minûsve servans, *Oedema* dicendus. Ex lymphâ aut salivâ spissâ nimis, vasa ultrâ tonum nativum dilatata inflante, durus, doloris & caloris expers exurget tumor, *Scirrhum* vocabis. Parotidæ non nunquam comitantur Febrem acutam, Cephalalgiam, Delirium, Phrenitidem, Lethargiam, Surditatem, Odontalgiam, Anginam, Nauseas, Vomitus, Convulsiones, Syncopes; Parotidas vicissim stipant morbi enumerati, tanquàm symptomata; quæ omnia seorsim, morbum gravem, & simul vigentia malignum & periculosissimum designant. Natura viis suis incognita fermentum morbosum; qualecumque sit, sæpè sæpiùs in Parotidem repellit, deponit, & ibi fixâ sede, tutiùs citiùsque liberatur œconomia animalis. Parotidum ergò diversas species, *Phlegmonodem* scilicet; *Oedematodem*, & *Scirrhodem*; *Essentialem*, *Symptomaticam*, & *Criticam*, singularumque signa ex jàm positis deducere pronum est.

HUMORES Parotidem ingurgitantes multiplici, non tamen æquè salutari modo converti possunt. *Resolutio*, *Suppuratio*, *Induratio*, *Gangrana* & *Delirescentia* sunt equidem totidem media naturæ viribus ad hoc opitulantiæ, non verò perenni & æquali successu. Sit proindè Chirurghi prima mens sedulò ponderare quid velit natura pati, quid ferre recuset.

ESSENTIALIS Parotidis *Resolutionem*; *Symptomaticæ* (b) *Resolutionem* pariter, dum tamen morbus primitivus non repugnet; *Criticæ* tandem *Suppurationem* promovere de naturæ votis. Perpendatur ergò an naturæ desiderio obtemperet, an verò ab ipso recedat Parotis, & Prognosim Therapeiamque instituere faciliùs erit.

CATAPLASMATA Antiphlogistica, Anodina, Emollentia; Resolutiva; Prisanæ, Jura, Apozemata, Enemata lenientia, Victus tenuis, Venæ-sectiones plûs minûsve, pro re natâ,

(a) *Mém. de l'Acad. R. de Chirur. tom. 3. p. 452, 454.*

(b) *Cell. lib. 6. cap. 16. p. 321, 322.*

reperitæ sanguinem ad crasim legitimam motumque debitum reducent, lymphæ & salivæ fluorem amissum restituent, acrimoniam demulcebunt: Alterantia, Evacuantia modo ægrotantis temperamento competente exhibita Cacochymiam fugabunt inimicam: methodus & hæc est, essentialis Parotidis, sive Phlegmonosæ, sive Oedematosæ, ut plurimum deletrix. Symptomaticæ resolutio, ratione morbi primitivi, diversimodè tentanda; in Febribus continuis, Ardentibusve, topica modò laudata, Venæ-sectiones; in Pestilentiis Alexiteria, Alexipharmaca, Theriacalia, sub formâ Embrocationum, Cataplasmatum, Emplastrorumve; in Strumis Aromatica, Saponacea; in Siphilide Mercurialia; in Scorbuto tandem Antiscorbutica exterius, tanquàm tutiora, admoveantur. Interna nihilominus, morbis enumeratis peculiaria, ingerantur medicamina. Maximam in Criticis Parotidibus tractandis requiri prudentiam, humor in sanguinis alveum non semel retrogressus & strages innumeras, ut plurimum lethales, edens nos edocet. E contra quantum boni ex tumoribus istis ad suppurationem adductis effluat, accidentia, imò & morbus ipse, suppurationis ope non semel extincta, probè evincunt; suppurantia ergò efficaciora adhibeantur. Semper tamen ad Parotidis inflammatoriam, vel lymphaticam indolem, quin etiam ad totius corporis & morbi solvendi præsentem statum & habitum accommodentur (a). Suppuratione factâ, puri conciliandus est exitus: perfectè suppurata Parotis scalpelli; Scirrhosa ex majori parte, Caustici ope aperienda. Si Essentialis sit tumor & durus adhuc, non festinetur apertura; Ex puris enim morâ diuturniore suppuratio citius promovebitur, & Parotidis durities celerius solvetur. Cave tamen ne quid nimium; in morâ diuturniori aliquando periculum (b). Si symptomaticus, ratione morbi primitivi acceleranda vel immoranda erit Oncotomia. In Febribus Continuï, Ardentibus, Putridis & Pestilentibus, scalpellus absque morâ tumori tantillùm suppurato immergatur; in virulentis affectibus moras, dùm specifica interna & externa simul adhibeantur, necere juvat. Humorum in Parotidas affluentium, ea est aliquando acrimonia, ut textus glandulæ organicus subitò contrahatur, liquorum circuitum impediat, & in gangrænam abeat; Jam Antiseptica (c) extûs applicanda veniunt; quorum actionem, si juxtâ

(a) *Trait. de la Suppurat. M. Quesnay. p. 151. Trait. de la Gangr. p. 273.*

(b) *Fab. Hild. cent. I. obs. 39.*

(c) Quænam Antisepticorum species, provariis casibus, competant legere est in opere modò laudato cui titulus, *Tr. de la Gang. M. Quesnay. p. 245. 315. 383.*

spem non succedant; scarificationibus juvare necessum est. Suppuratio escharæ decidendæ favens sedulò promovenda. A Parotidum Delitescentiâ diffide semper. Humor fugax vel in alveum sanguinis, vel in partem quamdam corporis irrumpit. In utroque casu ipsum, quantum fieri poterit, ad primam sedem revocare tutius erit. Si essentialis, incipiens & simplex sit Parotis; Venæ-sectiones, Lenientia, Aperitiva, Minorativa retrogressam materiem, per emunctoria ejicere valent. Si verò Critica & Symptomatica sit; ex morbi vigentis statu præfenti & accidentibus indicia desumpta, in eligendis Venæ-sectionibus, Cucurbitulis, Sanguisugis, Epispasticis, Diaphoreticis, Emeticis purgantibusve, sanitatis ministerium dirigere debent. Forfan nec resolveretur, nec suppurabit, nec putrescet tumor Parotidis; tunc solida & pertinax remanebit moles, Fomentis, Ducis(a), Emplastris, Emollientibus, Solventibus, necnon ejusdem virtutis Medicaminibus internis discutienda; quæ, si reluctetur, Caustico, vel ferro aggredienda. Caustico delenda venit Parotis ruboris, caloris, doloris expers, scirrhusa perfectè, per basim latam, partibus subjacentibus & ambientibus strictè seu firmiter admodum adhærens. Ferro autem elicienda Parotis super pediculum angustum valdè protuberans vel quam minuitur cancer. Penitus affecta cancro ferro subjicienda quoque, dum ne sit radicibus longè latèque serpentibus innixa; tunc ad sola palliativa confugiendum.

EXTRACTIONI Parotidis generalia, ut decet, præmittenda; apparatusi deindè providendum. Tum ægrotante commodè & firmiter collocato, cutis Parotidem involvens scalpello, secundum longitudinem, si sit minor, vel per formam litteræ T, aut etiam per crucialem, si major sit tumor, aperienda. Subito glandulam detegere, detectam digitis apprehendere & scalpelli ope à partibus ambientibus secernere. Hæmorrhagia agarico astringente, vel ligaturâ, tutiori medio, si vasa majora; linteo carpto, si minora læsa fuerint, compescenda. Splenia per gradum, à minori ad majus, posita vincturâ idoneâ continebuntur. Suppurationem, deterfionem & cicatricem aptis medicaminibus conciliare supererit.

CICATRICEM ex voto obtinere non semper licet. Jugiter stillans latex salivalis artis molimini frequentius obversatur.

(a) Quantum præstent aquæ Barregianæ in casu præfenti, frequens neotericorum demonstrat experientia. *Mém. des Prix de l'Acad. R. Chir.* tom. 2. p. 56. & 79.

Tunc ad situm & habitum ulceris mens dirigenda. Si enim super ipsummet canalem non affideat fistula, & nulla sit in marginibus callositas; compressio levis, per aliquot dies adhibita, exsiccantibus topicis sociata, cicatrici perficienda par erit. Si durities aut fungus circumjaceant, locum prius occupare debent Catheterica. Si tandem ductus salivalis reperitur fistulæ subjacens, ex eadem methodo nec certa nec tuta spes orietur. Via salivæ facilior præbenda est in parte canalis intrâ orificium ipsius & fistulam positâ. Quem admodum fistulæ canalis urethræ, Cathetere immisso, citius sanantur; ita, & favente setâ triplici in Stenonianum trajectâ, paulatim penitus que claudetur pseudotyrum. (a)

(a) *Mém. de l'Acad. R. Chirur. tom 3. p. 440. & suiv. celeberr. D. Morand Academiæ Secret. & obs. & D. Louis Dissert. & Observat.*

de Torbes
Has Theses, DEO JUVANTE, & Præsidente M. STEPHANO-PETRO LELAUMIER, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur, GABRIEL PICQUE, Tarbensis, in alimâ Universitate Parisiensi Liberalium Artium magister.

PARISIIS,
 IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

*Die Sabbati 30^a. Julii anno salutis 1757, à sesqui-
 secundâ post meridiem ad septimam.*

PRO ACTU PUBLICO.

ET
 MAGISTERII LAUREA.

Typis Viduæ DELAGUETTE, Collegii & Academiæ Regiæ Chirurg.
 Typographi, viâ San-Jacobæ, sub signo Olivæ.